UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annvs Diervm Memorabilivm Societatis Iesv. Sive Commentarius quotidianae virtutis, notabilem vnius, vel plurium in Societate vitâ functorum, virtute quapiam insignium memoriam in menses diesque ...

Nádasi, János

Antverpiae, 1665

XXVII. Die Ivnii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9625

Visual Library

XXVII. DIE IVNII.

P. RAPHAEL FERRER.

Hiſpanus. in America. 27. Iun. 1610

IN Peruuiam abijt, & poſtea in America inter Cophanes odio fidei occiſus eſt ſemper auidus fuit difficillimarum expeditionum. In ſacrificio Miſſæ, in recitandis Litanijs in legendo ſpirituali libro vbertim lachrymabatur. *Oratio.* Intra breue tempus è ſyluis plures manſuefecit, & 400. baptiſmo luſtrauit. *Fides.* Cali in Popayana Prouincia cùm ſcenicam actionem, quam dari nolebat non poſſet diſſoluere, ex improuiſo antequam illa inchoaretur ſe in theatrum dedit, & ita dixit, vt omnes ad lachrymas permouerit, & omnia diſturbarit; exoſus erat indigenis rituum ſuorum retinentibus, eoque ne ritus illos prædicando conuelleret in profluentem abiectus, & merſus eſt.

IOANNES MARQVESIVS COADIVT.

Gallus in Gallia 27. Iunij 1621. Æt. 55. Soc. 22.

TRanquillitate animi, vultus vbique conſtantiâ, memorabili obedientiæ exemplo: ac Inſtituti obſeruantiâ præcelluit. *Mors.* Patrum cuidam qui longè aberat moriens apparuit vt fama eſt, eumque non ſemel poſteà certiorem fecit, ſe iam Beatorum felicitate potiri.

DIDACVS, SEV IACOBVS SARABIAS. COADIVT.

Hiſpanus Valentiæ. 1558. menſe Iunio

ANte initam Societatem cùm eſſet textor, modico ipſe contentus, reliqua omnia dabat pauperibus. In Societate cùm ei ſecularis quidam in publico alapam inflixiſſet, ad eius pedes abiectus veniam petijt quaſi feciſſet, non accepiſſet iniuriam. *Patientia.* Mauris prædas agentibus alicubi obuius, ſanctum, vt ille vocabat, Roſarium protulit, & ſe nihil eos metuere dixit. *B.V.* Putatur à Deipara eorum oculis ſubductus, cùm gens illa effere, & omnis prædæ auida tranſiret Iacobo nil tacto, & fortè nec viſo. *Mors.* Moriens dulciſſimo gaudio exultabat, quòd in Societate IESV, & quidem præſtito peſte contactis charitatis officio, moreretur.